MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-4

AUTHOR:

EICHSTADT, H. K. A.

TITLE:

DE HORAT. SAT. I
EXORDIO...

PLACE:

[JENA]

DATE:

[1822]

Master Negative #

91-80313-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Eichstädt, Heinrich Karl Abraham, 1772-1848.
...De Horat. Sat. I, X exordio praefatvs est Henr. Carolvs Abr. Eichstadivs... [Jena], prostat in Libraria Croeckeria, [1822]
11 p. 25 cm.

At head of title: Index scholarvm pvblice privatimqve in Vniversitate litterarvm Ienensi per hiemen anni MDCCCXXII...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

M. L. Earle

no. 1

INDEX SCHOLARVM

PVBLICE PRIVATIMQVE

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

PER HIEMEM ANNI MDCCCXXII

INDE A DIE XXI OCTOBRIS

HABENDARVM

AVCTORITATE

PRORECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS PHILIPPI GABLERI

THEOL. D. ET PROF. PRIMARII

DVCIS SAXON. GOTHAN. A CONSILIIS CONSISTORII INTIMIS

MAGNI DVCIS SAXON. VIMAR. A CONSILIIS ECCLES. ETC.

ET

SENATVS ACADEMICI

EDITVS.

DE

HORAT. SAT. I, X EXORDIO

PRAEFATVS EST

HENR. CAROLVS ABR. EICHSTADIVS

ACAD. PROGRAMMAT.

PROSTAT IN LIBRARIA CROECKERIA.

Si fas eſt in re longe triſtiſſima capere aliquem laetitiae fructum ex iis, quae eam rem conſequuta ſunt, dolorique fortuitum quoddam et quaſi adventicium levamentum adhibere: eſt ſane, quod laetemur, immatura illa morte, quam paucis abhinc diebus publice luximus, commotum eſſe veterem noſtrum amicum, eruditiſſimum Doeringium, non modo, ut ſcriptione publica finem faceret diuturni ſilentii, verum etiam, ut per hanc ſcribendi neceſſitatem ad Horatii ſui nimis diu intermiſſam explicationem rediret *). Ac profeſſus eſt in extrema libelli pagina, ſe nunc quum maxime verſari in Horatii Satiris atque Epiſtolis edendis: cuius iucundiſſimae rei ut aliquod publicum documentum ac velut pignus exſtaret, nunc quidem de prooemio, quod decimae libri primi Satirae in plerisque omnibus editionibus ſolet praefigi, docte copioſeque disputavit. Qua in disputatione ſi meam ab illius iudicio ſententiam ſeiungendam putem, non iraſcetur mihi vir integerrimus, quicum ego, quod ipſe probe ſcit, plane conſentiam de rebus multo gravioribus, quae et ipſae ad ſatiras, non ſcriptas illas quidem ab Horatio, ſed ab Horatii aemulo olim for-

*) Programmati, quod edidit, haec eſt inſcriptio: *Ad memoriam Sereniſſimi Saxoniae Ducis*, Aemilii Leopoldi Augusti, *d. 17 Iul. — — in Gymnaſio celebrandam — invitat* Frid. Guil. Doering, *Gymnaſii Gothan. Director. Praemittuntur quaedam de Horatii octo verſuum integritate praeter rem in ſuſpicionem vocata.* Gothae, 1822. 4.

taſſe ſcribendas, pertineant. Sed quae ſit ratio illius prooemii, ita iam exponam, ut etiam qui non recentes ab Horatii lectione ad hanc ſcriptiunculam acceſſerint, ac Venuſinum cygnum iam dudum in ludimagiſtri neſcio quo angulo reliquerint, tamen arbitri honorarii poſſint in hac cauſſa ſedere.

Nam quum exſtitiſſent, qui Horatium exiſtimarent de Lucilio inique nimis et arroganter iudicaviſſe in ea Satira, qua illum dixiſſet *lutulentum fluere* et *garrulum* fuiſſe *atque pigrum ſcribendi ferre laborem, ſcribendi recte*, quippe qui

durus componere verſus:
nam fuit hoc vitioſus: in hora ſaepe ducentos,
ut magnum, verſus dictaret ſtans pede in uno:

poeta, quo ſuam illam ſententiam a vituperatorum importunitate defenderet, Satiram ſcripſit decimam, plenam urbanitatis, ſed ita, ut, qui in ceteris Satiris mitis potius quam acer eſſe maluiſſet, et hac ſuavitate humanitatis aequalibus, quo quisque eſſet humanior, eo magis placuiſſet, in hoc carmine cauſſam paullo ſeverius ageret, et animi indignationem ipſo exordio proderet:

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte eſt,
Vt non hoc fateatur? At idem, quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera: nam ſic
Et Laberi mimos, ut pulcra poemata, mirer.
Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum etc.

Sed his verſibus alii octo vel praemittuntur in editionibus, vel tamquam dubii in annotatione apponuntur:

Lucili, quam ſis mendoſus, teſte Catone,
Defenſore tuo, pervincam, qui male factos
Emendare parat verſus. Hoc lenius ille,
Eſt quo vir melior: longe ſubtilior illo,

Qui multum puer et loris et funibus udis
Exoratus, ut eſſet, opem qui ferre poetis
Antiquis poſſet contra faſtidia noſtra,
Grammaticorum equitum doctiſſimus. Vt redeam illuc,
Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. —

Quos verſus quum Acro ignoraſſet, Chriſtoph. Landinus in annotationem reieciſſet, intelligentiſſimus autem ille Horatianae urbanitatis exiſtimator, Dionyſ. Lambinus, ita repudiaviſſet, ut, Horatianos ſi quis putaret, eum in his litteris parum videre pronunciaret, ſibique aſſentiri dixiſſet Io. Auratum, M. Ant. Muretum, S. Boſium et Io. Paſſeratium: fuerunt non pauci, qui vel tantorum reveriti auctoritatem virorum, vel ſuomet ipſi ſenſu et iudicio ducti, prooemium illud, tamquam adulterinum, ab Horatio abiudicarent. Alii aliter cenſuerunt, tum ante Lambinum, tum poſt. Nam Aldus, referente Gesnero, agnovit ſtilum Horatianum, nec non Gyraldus (dial. IV de poetis) et G. Canterus: H. Glareanus vel Horatii eſſe ait, vel ſimiae Horatii. Geo. Fabricius, quaſi nihil dubitaret de auctore, in caſtigationibus annotat, Catonem intelligi Valerium, nobilem grammaticum et criticum (de quo Suetonius c. III): et tamen omiſſi ſunt hi verſus in exemplaribus Fabricianis, Baſil. 1555. fol. et Lipſ. 1593. 8. excuſis. Lambinus ipſe aetatem quadringentorum annorum illis tribuit. Voſſius valde antiquos eſſe dicit. Aſcenſius ed. 1544. fol. ſunt, inquit, qui Maecenatem taxari hic autument, et ideo propter ipſum ab Horatio reſectum hoc caput. Etiam Glareanus: ablati, inquit, poſſunt videri poetae conſilio. Haec faciunt, addit Gesnerus, ut dignos putem verſus, qui etiam hic legantur (quippe locum iis dedit in ipſo Satirae limine), praeſertim quum, ſi non ſint Horatii, antiqui tamen et ingenioſi hominis videantur. In hanc mitiorem Gesneri ſententiam, quo quisque ingenio mitior erat,

eo magis conceſſit: ut non miremur, Feam quoque et Heindorfium, admodum benignos cenſores, verſibus illis pepercisse.

In hac ſententiarum diverſitate, miramini fortaſſis, nondum prolatum eſſe iudicium illius viri, qui in critica quidem Horatiana fere cenſetur eſſe inſtar omnium. At Bentleius iſtos verſus ſilentio ſuo damnavit *), habuitque, quod memorabile eſt, huius ſententiae non eos, quos par eſſet exſpectari, ſed ſemidoctos quosdam Horatii editores, quos ipſe, ſi viveret, eodem dignos ſilentio haberet, adſtipulatores. Quos unos ſi Doeringius reſpexit, non miramur, ipſum Horatii ſui cauſſam ſibi viſum eſſe agere, quando defenſionem verſuum lenis patronus ſuſciperet adverſus eos, in quos, ſi paullo iracundior eſſet, lege Remmia agere licuiſſet. Quae quidem defenſio quibus nitatur rationibus, paucis dicendum eſt.

Ac primum quidem Doeringius, quod ipſe hac in cauſſa longe graviſſimum arbitratur, provocat ad vetuſtatem plurium veterum librorum, tam manu ſcriptorum, quam typis excuſorum, qui verſus exhibeant. Proferri enim illos non ſolum in editionibus antiquiſſimis, in editione principe bibliothecae Vaticanae, in altera Mediolanenſi a. 1486, in Aldina a. 1501, Iuntina 1503, Argentoratenſi 1514, ſed etiam in pluribus apud Feam codicibus exſtare, quos ille his litteris deſignarit: V. A. G. I. Vr. C. D. F. K. Vp. A. D. F. a. Z. M. An. A. a. Z. M. Ba. B. Va. V. Et nos, ut par eſt, ſuſpicimus tantam tot librorum conſenſionem: ſed de fide et auctoritate illorum negamus iudicari ante poſſe, quam diligentius paullo et accuratius quaeſitum fuerit de ſingulorum origine ac familiis, ne, quae non ſunt niſi multae unius vocis imagines, pro totidem diverſis vocibus numerentur. Quid? etiamſi, quot ſunt libri, tot teſtes numerare liceret: num quid inde conſequitur, quo illius prooemii αὐθεντία extra dubitationem ponatur? Niſi forte Ciceroni quoque tribuendae ſunt orationes, quas tam-

*) Idem fecerunt praeſtantiſſimi poetae interpretes Germanici, Wielandus et Voſſius.

quam ab ipſo poſt reditum habitas tot antiquiſſimi libri nobis una cum genuinis orationibus offerunt, aut Tacito vindicandus eſt ille de oratoribus dialogus, propterea quod eumdem magna codicum multitudo Annalibus et Hiſtoriarum libris adiunxit: aut, quod fortaſſe ad rem noſtram magis ſpectat, Virgilio ineptum illud Aeneidos exordium, *Ille ego, qui quondam*, reddendum eſt, quod nec ipſum codicum auctoritate deſtituitur. Ne quid dicam de multis aliis fraudibus, in quas pellectos eſſe homines, qui librorum veterum teſtimoniis unice inhaererent, nemo ſane Doeringio noſtro melius perſpexit.

Itaque primo illi argumento, parum ſane firmo ad perſuadendum, idem adiecit alterum, ductum ex eo, quod in verſibus illis nihil ab aureae aetatis latinitate et ingenio discrepans et alienum reperiatur, immo non ſolum ſententia in iis expreſſa toti carmini egregie reſpondeat, ſed etiam ſcribendi genus Horatium ſpiret. De ſcribendi genere aſſentimur: agnoſcimus etiam Horatii ſales in verbo *exoratus*, cui Doeringius, ſi conſulere ſuae cauſſae vellet, non debebat alteram lectionem *exhortatus* *), multo illam debiliorem atque languidiorem, praeferre: et plane Horatianum videtur nobis eſſe illud, quo exordium non ſine iocoſa gravitate finitur, *Grammaticorum equitum doctiſſimus*, quod noſtra quoque aetate in compellandis ornandisque quibusdam Grammaticis feſtive uſurpetur. De ſingulis igitur verbis aſſentior Doeringio: non item de ſententiarum virtute et convenientia. Ac, ne pugnacior contra amicum videar, nolo iam dubitationem movere de Catone illo, Lucilianorum carminum emendatore, de quo exordii auctor tamquam de vivente adhuc et emendandis ſatiris occupato loquitur: quod Heindorfius bene obſervavit. Afferunt enim ex Suetonio **) *Valerium Catonem, poetam ſimul gram-*

*) Alii *exornatus*: quae etiam peior lectio eſt. Sed de his recte iam iudicavit Heindorfius.

**) *De illuſtr. Grammat.* c. 2. 4. 11. De hoc Catone conf. imprimis WERNSDORFIVM in *Poetis Latt. minoribus* Tom. III.

maticumque notiſſimum, quem propter utramque virtutem etiam Furius ille Bibaculus celebraverat. Hunc autem Catonem, quem conſtat ad extremam ſenectutem vixiſſe, nos non tam miramur ſenem plus quam ſexagenarium *) adhuc Lucilii verſibus emendandis inſudaviſſe; nam ſimile quid, niſi fallor, etiam Ramlerus noſter factitavit: quam hoc nobis mirabile videtur, illum ita clam litteratoribus id feciſſe, ut neque auctor iſte libri de illuſtribus grammaticis, quamquam non parcus verborum in commendando Catone, neque alius quispiam ea de re commemorarit. Vnde ſane dubitatio naſcitur de emendatore, num Valerium illum poeta ſignificare voluerit. Verum tamen ut hoc mittamus, et ad ipſas ſententias revertamur, in iis profecto deſideratur illud *neſcio quid*, in quo, uti veriſſime monuit Wolfius in cauſſa Ciceroniana **), ab exemplo ſuo fere discrepat imitator, etiamſi aſſidua lectione verſatilique ingenio aſſequutus eſt, ut illius non vocabula ſolum, non quamdam orationis figurationem, non compoſitionem nume-

p. XLVI et LXXI ſqq. Wernsdorfium Doeringivs poterat honoris cauſſa adiicere ſuae ſententiae de exordio carminis patronis: in quibus etiam Io. Frid. Hevsingervm recenſuit, cuius diſſertationem *de verſibus Horatianis, quibus eques importunus, Lucilii defenſor, fucete reprehenditur, cauſſa parum manifeſta ab Horatio abiudicatis* (Wolfenb. 1759. 4.) Wernsdorfio quoque probatam video. Sed de hac diſſertatione, cuius legendae nec mihi nec Doeringio facta eſt copia, ſententiam exſpectabimus amicorum Guelpherbytanorum, imprimis eruditiſſimi illius viri, qui, quum veterum more negotiorum ſeveritatem condire litterarum ſuavitate ſoleat, quam commode et feliciter in arte noſtra habitet, Tacitus, Suetonius et Propertius, ſuo quisque in peregrina lingua ſono redditi, ſatis teſtantur.

*) Id aetatis cur tribuamus emendatori, ſi modo ille Valerius Cato fuit, facile patebit temporum rationes computantibus. Etenim quum Sulla vita excederet a. V. C. 676, ad ſummum, credo, vigeſimum aetatis annum attigerat Cato, quem *pupillum relictum*, licentia Sullani temporis exutum patrimonio, Suetonius narrat. Itaque natum arbitror fere a. V. C. 656. At Horatius lucem vidit a. V. C. 689, qui, quum ex Bentleiana temporum putatione adoleſcens ſeptem et viginti annorum (a. 716) primum librum Satirarum ſcriberet, Cato annum aetatis ſexageſimum iam expleverat.

**) Praefat. Cic. Oratt. quatt. poſt reditum p. XLII.

rorum arripuerit, ſed ſcriptorem, qualem eum in ſuis operibus cognovimus, plane reddat. Etenim aut ego Horatii artem et urbanitatem prorſus ignoro, aut numquam ille tam invenuſte facere poterat, ut Satiram ita ordiretur:

> *Lucili, quam ſis mendoſus, teſte Catone,*
> *Defenſore tuo, pervincam:*

nec poterat diverſas ſententias conglutinare et compingere ineptiſſima illa formula, *ut redeam illuc*, qua lector vel auditor ne reducitur quidem illuc, quo revocare eum volebat, qui orationi, diverſis ex filis contextae, ligamenta quaerebat. Nec particula *Nempe* congruit prioribus, quae, in ipſo Satirae veſtibulo poſita, vim inſignem habet, qua incitatur legentis animus, et ipſa quaſi animatur oratio. Denique cur anfractu iſto et circuitione opus fuiſſe Horatio putabimus, qui nunc hoc agebat, et aperte ſatis graviterque agebat, ut ſemet ipſum defenderet, non ut alios obiter et quaſi praetereundo carperet? Immo perit, ſi quid ſentio, illa ſententiarum gravitas, enervatur et robore ſuo privatur poetae defenſio, ſi aptis ad rem conſilioque congruis ſententiis ſententiae alienae immiſceantur.

Sed illa ipſa particula *Nempe*, quam attigi, Doeringio noſtro — quis credat? — *ἀργαλέον πρᾶγμα* faceſſivit. „Haec particula, inquit, qua, octo illis reiectis verſibus, Satira incipit, neceſſario ad aliquid, quod praemiſſum eſt, referri debet. Nam quis tandem poeta umquam tam abrupte carmen aliquod exorſus eſt? Suppleri certe ad *Nempe* debent fere haec: Plures mihi iraſcuntur de eo, quod dixi de vitiis Lucilii, *Nempe dixi* cet., ſed hoc ipſum, quod ſuppleri debet, eleganti circumſcriptione et amplificatione latet in octo illis verſibus.“ Miror ego, iſtam de abrupto initio dubitationem motam eſſe a viro, qui, qua ratione ſolvi eam oporteret, et ſcivit, et paullo poſt ipſe declaravit. Ac paene vereor, ne poenas Horatio ſuo dederit elegantiſſimus

interpres, qui, dum aſſutam poetae venuſtiſſimo alienam laciniam defendit, interpolatoris illius exemplo ea nunc ipſe ſcripſit, in quibus priora cum poſterioribus non ſatis coirent. Et quid rei fuit, quod vir doctiſſimus non recordaretur perpetuum Horatii imitatorem, A. Perſium, cuius hoc eſt grave et vehemens tertiae Satirae initium:

Nempe hoc aſſidue? Iam clarum mane feneſtras
Intrat, et anguſtas extendit lumine rimas.

Cui ſi in aliquot libris hos ſimilesve verſus praefixos inveniremus:

Quam corrupta ſies, quam deſidioſa, iuventus,
Qui ſumma te laude ferunt, his teſtibus ipſis
Pervincam. Nitidae laudat Fundanius Acci
Blandimenta cutis. Quid mirum? Quippe laboris
Expers mane piger ſtertit, balanataque mollis
Membra refert cubitum. „Teretem Naſica rotundo
Ventriculo Bacchum ſuperat.“ Namque anſeris extis
Ille popam paſcit, dulci recreatque Falerno,
Luxurioſorum ſcitiſſimus. Ut redeam illuc,
Nempe hoc aſſidue? Iam clarum mane feneſtras
Intrat etc.

hos igitur aliosve ſimilis ſententiae verſus ſi praefixos Satirae exordio in codicibus inveniremus: nonne Doeringius, qua eſt et mentis ſagacitate et morum antiqua ſimplicitate, primus repente et graviter exoriretur, compeſcens et reprimens falſarii impudentiam, qui Perſio ea affinxiſſet interpolando, quae, quamquam concinnata ad illius dictionem, tamen ſententiarum et ordinem turbarent, et nervos infringerent, et ab ipſo Horatio, quem Perſius in prooemio eſſet imitatus, fraudis convincerentur? Sed nolo his interrogatiunculis urgere optimum virum, qui iſtam dicendi rationem, compreſſione rerum brevem valdeque efficacem, ne proſaicis quidem ſcriptoribus ſcit incognitam aut inuſitatam

fuiſſe, quorum pulcram imitationem, ab Erneſtio in praefatione Initiorum rhetoricorum factam, Barthius nobis olim in ſchola Portenſi exempli cauſſa proponere et commendare ſolebat.

Sed plura his addere, neque opus eſt, nec vacat. Nam ita me urget temporis brevitas et negotiorum multitudo, ut, quae ſcripſi, Lucilii exemplo *ſtans pede in uno* ſcribere cogerer. Vos autem, Cariſſimi Cives, quos nulla premit temporis neceſſitas, nolite in ſtudiis veſtris, quorum novum ordinem nova haec ſcholarum tabula indicit, aut Lucilii morem ſequi, aut meum illud exemplum imitari. Afferte aſſiduitatem ad novas ſcholas, adhibete diligentiam et circumſpectionem, lenteque feſtinando cavete, ne aut ſtantes pede in uno profligare vos litterarum ſtudia et uno cunctas Muſas amplexu tenere poſſe exiſtimetis, aut volatici, huc illuc vagantes, ſine conſilio ac ratione academicum ſpatium decurratis. Quod qui faciunt, vix fiunt litteratores; ſed *cuncta prius*, ut idem ille Valerius Cato ait *), quam litterati **) evadant. Valete.

Scr. Ienae, die VII Iulii, anno MDCCCXXII.

---

*) Fragmentum ex Diris eius tractavit Garatonius ad Cic. Philipp. XIII, 21 in praeclara editione Wernsdorfiana To. II. p. 533.

**) Suetonius de illuſtr. Grammat. IV, auctore Orbilio, *Apud maiores*, ait, *quum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, ſed litteratorem, inſcribi ſolitum eſſe; quaſi non perfectum litteris, ſed imbutum.*